



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Roderico Vazquez De Arce Svpremi Senatvs Regii In Hispania Præsidi
Dignissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)



RODERICO VAZQUEZ
DE ARCE SVPREMI SENATVS REGII
IN HISPANIA PRÆSIDI
DIGNISSIMO.

FRANCISCVS SVAREZ è SOCIETATE IESV.



*V*M volumen alterum commentariorum in tertiam partem D. Thomæ in manibus edendum haberem, ecce mihi, Præses amplissime Hispaniæque vniuersæ optatus illuxit dies, quo tuæ virtus, egregiusque animi candor, ac singularis eruditio cum generis nobilitate coniuncta, non sine diuino numine ad tale, tantumque munus euexerunt, quale iam dudum tua merita postulabant. Quare non fuit mihi diu ambigua deliberatione cunctandum, cui potissimum principio opus hoc, qualecunque est, offerendum esset. Tibi enim multis nominibus debebatur: scilicet, cui ego deberem plurimum & meo nomine, & Societatis nostræ, quam non solum summo studio, animique beneuolentia complexus es, verum etiam eximiis beneficijs tibi in perpetuum deuinxisti. Ex quo maxima quidem, ac pene certa spe ducor, fore, ut nostrum hoc opus tibi gratum, atque acceptum futurum sit. Tum quod ex nostra Societate profectum, tum maxime, quod in eo arcana æterni iudicis, mediatorisque Dei, & hominum, vitæ, mortisque mysteria, inauditaque, ac pene diuina intemerata Deiparæ gesta morefque continentur: & ex ditissima sacrorum voluminum suppellectili, deque sanctorum Patrum pellucidissimis fontibus depromuntur, atque non exiguo labore nostro, industriaque tenui illa quidem, si rei magnitudinem spectes, magna, si diligentiam, ad rigorem scholasticum rediguntur. Quis igitur mihi iure succenseat, si æterni Præsidis vitam, tanquam exemplaria verorum, Præsidi supremo totius Castellana Reip. ante oculos proponam? Aut quis dubitare audeat laborem hunc nostrum tibi fore gratissimum, cui tanti filij, tantaque matris augustissima est memoria, & iucundissima recordatio? Et enim cum tot sint occupationum æstus, tot negotiorum fluctus in dignitate hac, cuius personam geris, tam grauem, tam seueram, non dubito, quin generosus iste tuus animus terrenorum mole oppressus soleat interdum respirare memoria, presentiaque illius supremi principis, quem Pater constituit hominum mediatorem, ut ima summis, terrena superis conciliaret. In eo enim eiusque intemerata matris interuentu sitas spes tuas, & collocatas habes: ad quos in frequenti negotiorum

labyrintho, tanquam ad sacram anchoram confugere solitus. Quod si in huius operis nuncupatione eius potissimum ratio habenda fuit, qui posset illud & vellet patrocinio defendere, & splendore nominis illustrare, hoc etiam nomine dignitas, & amplitudo tua, & in nostrum ordinem benevolentia primum sibi locum non iniuria vendicarunt. Ea enim es auctoritate apud omnes, ut nihil sit tam abiectum, nihil tam obscurum, quod clarum, & illustre non sit sub tuo nomine constitutum: eademque erga nos voluntate, ut nemo sanus ambigere possit, te summo studio opus hoc, si res postulauerit, defensurum. Accipe igitur Praeses clarissime, hos mearum lucubrationum fructus, eosque ad communem utilitatem exhibitos, tuo favore commendanda, ac de nostra Societate, exigua illa quidem, sed tibi addictissima, ut haecenus fecisti, bene mereri perge. Nostrarum veropartium erit, assidue precari Deum, ut vitam tuam uniuersae Hispaniae diu seruet incolumem, omniumque consiliorum, ac rerum tuarum cursum iubeat esse felicem. Vale.

Franciscus Suarez.



TOTIVS